

DE PRIMO PRAECEPTO.

K. Causa impulsiva,
quarum:

1. Mandatum Dei, 1. Cor. 6: Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortemini, Coloss. 2. Ambulate radicati. &c. 2. Thess. 2: Non moueamini à vestro sensu, neq; terreamini. Ebr. 6: Confugiamus ad tenendam propositam spem. &c. Ebr. 6: Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem. &c.

2. Promissio praeij, & quidem: Temporalis, Matth. 19: Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causâ nominis mei, centuplicia accipiet &c. Exemplum sit Joseph, Job & alij. &c. Aeterni in futuro seculo, Matth. 24: Qui perseueraueris usq; ad finem, hic saluus erit. Luc. 2: Qui permansistis &c. Dispono ego. &c. Hinc Seneca Epist. 65: In excelsis est beata vita, sed perseuerantia penetrabilis. &c.

L. 2. Continet vitia constantiae
contraria, quarum:

1. Descriptio eius, quae: Ponitur: Est enim qua multi in persecutionibus, ut impellit Satan, doctrinam verae Ecclesiae, eadem leuitate, qua receperunt primò, propter honores vel opes mundi, iterum abjiciunt, ac malunt perfidi Apostatae quam sancti martyres fieri.

Illustratur: Testimonio scripturae, Matth. 13. Quemadmodum semen bonum. &c. Sacris, quorum multa 1. Mac. 1. & alibi leguntur. Sic Paulus de quibusdam scribit, 2. Tim. 1. Aversi sunt à me. &c. Exemplis, & quidem: Ecclesiasticis, quorum aliquot habet Wenc. Stur, in prompt. Exemplorum.

2. Poena eius, nimirum quod Apostata rursus à Deo deserantur, ut dicitur 2. Chron. 15. Si reliqueritis Deum, derelinquet vos. Jer. 17. Omnes Domine, qui te derelinquunt, confunduntur. &c.

2. Confidentia vana, qua multi humanis viribus suis confidunt nimium, indeq; rebus tranquillis gloriantur de singulari constantia, quam deinde in periculis, deserti à Deo & confusi minimè prestare possunt. Exemplum euidentius habemus in Petro, Matth. 26 Hinc Paulus rectè monet, 1. Cor. 10: Qui se existimat stare, videat nec cadat &c. Et Gal. 6: Considerate ipsum, ne & tu senteris.

3. Pertinacia qua Idololatra ac alij fanatici homines, nolunt blasphemos suos errores & impios cultus, licet de his verbo Dei conuicti sunt, abjicere, sed multò maiori (caeco tamen) zelo, eosdem amplectuntur & defendunt, quam multi veram & sinceram religionem. Ierem. 8: Apprehenderunt mendacium & nolunt reuerti. Et, cap. 44: Sermonem, quem locutus es Propheta ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te. &c. Sed. &c.